ORDO LITURGICUS

IN NOVEMDIALIBUS SOLEMNIBUS SERVANDUS

QUIBUS

CELSISSIMUS ET REVERENDISSIMUS D. D.

BENEDICTUS RICCABONA

DE REICHENFELS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TRIDENTINUS ET PRINCEPS

SANCTITATIS SUAE PRAELATUS DOMESTICUS

AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

COMES ROMANUS

Eques secundae Class. Coronae Ferreae etc. etc.

ANNUM TERTIUM SAECULAREM

AB ABSOLUTA

SACROSANCTA ET OECUMENICA

SYNODO TRIDENTINA

CELEBRABIT

MENSE JUNIO MDCCCLXIII.

TRIDENTI

EX OFFICINA MONAUNIANA.

ORDO LITURGICUS

EXPOSITUS

IN SINGULOS CELEBRITATIS DIES

DIE XX JUNII.

VESPERE.

Hora octava *in Ecclesia Cathedrali ad altare majus, ubi Christifidelium venerationi propositum cernitur allatum e proximo sacello percelebre Simulacrum D. N. Jesu Christi Crucifixi, coram quo Decreta omnia sacrosanctae et oecumenicae Tridentinae Synodi publicata fuerunt, cantantur primum Litaniae Lauretanae, tum hymnus in honorem ejusdem SS. Redemptoris, ut infra, celebrante aliqua Dignitate aut Canonico pluviali albi coloris induto.*

LITANIAE LAURETANAE.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater de Coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genetrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater Divinae gratiae,
Mater Purissima,
Mater Castissima,
Mater Inviolata,
Mater Intemerata,
Mater Amabilis,
Mater Admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo Veneranda,
Virgo Praedicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,
Speculum Justitiae,
Sedes Sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas Spirituale,
Vas Honorabile,
Vas Insigne devotionis,
Rosa Mystica,
Turris Davidica,
Turris Eburnea,
Domus Aurea,

Ora pro nobis.

Foederis Arca,
Janua Coeli,
Stella Matutina,
Salus Infirmorum,
Refugium Peccatorum,
Consolatrix Afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nunciante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hymnus.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium:
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres!
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.
℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Oremus.

Deus, qui Unigenitum tuum mundi Redemptorem constituisti, et per eum, devicta morte, nos misericorditer ad vitam reparasti; concede, ut haec beneficia recolentes, tibi perpetua caritate adhaerere et ejusdem redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

A data benedictione usque ad horam nonam ritu solemni pulsantur campanae Ecclesiae Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum civitatis et suburbiorum.

DIE XXI JUNII.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

Mane.

Hora media nona *Sodalitates Laicorum et universus civitatis Clerus tam saecularis, quam regularis conveniunt ad Ecclesiam parochialem Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ex qua, Pio IV Pontifice Maximo, illustrissimi et reverendissimi Patres continuationem sacrosanctae et oecumenicae Synodi jam a decem annis suspensae inchoaturi die XVIII Januarii MDLXII ad Ecclesiam Cathedralem processerunt.*

Celsissimus ac reverendissimus Episcopus, e pontificiis aedibus adveniens et apud januam Ecclesiae debito honore exceptus, deducitur ad altare majus, ubi genuflexus orat aliquantulum; tum prope faldistorium in C. Epist. induitur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali rubris, sedensque cum mitra imponit incensum in thuribulo, ac reversus ad altare majus incipit genuflexus sine mitra hymnum Veni, Creator Spiritus.

Absoluta per Cantores prima stropha, surgunt omnes, et ordinatim procedunt ad Ecclesiam Cathedralem cantantes reliquas strophas hymni praedicti et psalmos infra positos. Ultimo loco sequitur Episcopus cum mitra et baculo pastorali medius inter duos Canonicos assistentes, paratos dalmaticis.

Hymnus.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternae Dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Psalmus 131.

Memento, Domine, David, * et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino, * votum vovit Deo Jacob;

Si introiero in tabernaculum domus meae, * si ascendero in lectum strati mei;

Si dedero somnum oculis meis, * et palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, * tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata; * invenimus eam in campis silvae.

Introibimus in tabernaculum ejus; * adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Domine, in requiem tuam, * tu et arca sanctificationis tuae.

Sacerdotes tui induantur iustitiam: * et sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, * non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam; * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, * et testimonia mea haec, quae docebo eos;

Et filii eorum usque in saeculum, * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: * elegit eam in habitationem sibi.

Haec requies mea in saeculum saeculi; * hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam; * pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari; * et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David; * paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione; * super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri.

Psalmus 32.

Exultate justi in Domino: * rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum: * bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini, * et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium: * misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini coeli firmati sunt: * et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium: * reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in aeternum manet: * cogitationes cordis ejus in generationem, et generationem.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: * populus, quem elegit in haereditatem sibi.

De coelo respexit Dominus: * vidit omnes filios hominum.

De praeparato habitaculo suo, * respexit super omnes, qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum: * qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem: * et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.

Fallax equus ad salutem: * in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum: * et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum: * et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum: * quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo laetabitur cor nostrum: * et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos: * quemadmodum speravimus in te.

Gloria Patri.

Psalmus 65.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur, et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in aequitate, et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus; confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri.

Ubi Episcopus Ecclesiam Cathedralem ingressus ad altare majus pervenit, cantatur ℣. Gloria Patri, *etiamsi psalmus non fuerit integer decantatus.*

Postea incipitur Missa votiva solemnis de Spiritu Sancto *per aliquam Dignitatem celebranda cum solitis caeremoniis, quae servari debent, assistente Episcopo pluviali induto.*

Homiliam habebit ipsemet Episcopus.

Vespere.

Hora septima *in Ecclesia Cathedrali Sacerdos ad id deputatus, paratus pluviali albi coloris accedit cum sex Clericis ad altare majus, ubi genuflexus incipit hymnum* Ave maris stella, *Clericis cum populo prosequentibus.*

Hymnus.

Ave maris stella,
  Dei mater alma,
  Atque semper virgo,
  Felix coeli porta.
Sumens illud Ave
  Gabrielis ore,
  Funda nos in pace,
  Mutans Hevae nomen.
Solve vincla reis,
  Profer lumen caecis,
  Mala nostra pelle,
  Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
  Sumat per te preces,
  Qui pro nobis natus
  Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
  Inter omnes mitis,
  Nos culpis solutos,
  Mites fac et castos.
Vitam praesta puram,
  Iter para tutum,
  Ut videntes Jesum
  Semper collaetemur.
Sit laus Deo Patri,
  Summo Christo decus,
  Spiritui Sancto,
  Tribus honor unus. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium; ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Sacerdote cum Clericis in sacristiam reverso, habetur sacra concio.

Post concionem exponitur in altari majori Reliquia sanctae Crucis, qua incensata, cantantur Litaniae Sanctorum cum orationibus, ut infra, celebrante aliqua Dignitate seu Canonico pluviali rubri coloris induto.

LITANIAE SANCTORUM.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genetrix, ora
Sancta Virgo Virginum, ora

Sancte Michael, Ora pro nobis
Sancte Gabriel, ora
Sancte Raphael, ora
Omnes Sancti Angeli, et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora
Sancte Joseph, ora
Omnes Sancti Patriarchae, et Prophetae, orate
Sancte Petre, ora
Sancte Paule, ora
Sancte Andrea, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Joannes, ora
Sancte Thoma, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Philippe, ora
Sancte Bartholomaee, ora
Sancte Matthaee, ora
Sancte Simon, ora
Sancte Thaddaee, ora
Sancte Mathia, ora
Sancte Barnaba, ora
Sancte Luca, ora
Sancte Marce, ora
Omnes Sancti Apostoli, et Evangelistae, orate
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate
Omnes Sancti Innocentes, orate
Sancte Stephane, ora
Sancte Laurenti, ora
Sancte Vincenti, ora
Sancti Fabiane, et Sebastiane, orate

Sancti Joannes, et Paule, orate
Sancti Cosma, et Damiane, orate
Sancti Gervasi, et Protasi, orate
Omnes Sancti Martyres, orate
Sancte Silvester, ora
Sancte Gregori, ora
Sancte Ambrosi, ora
Sancte Augustine, ora
Sancte Hieronyme, ora
Sancte Martine, ora
Sancte Nicolae, ora
Omnes Sancti Pontifices, et Confessores, orate
Omnes Sancti Doctores, orate
Sancte Antoni, ora
Sancte Benedicte, ora
Sancte Bernarde, ora
Sancte Dominice, ora
Sancte Francisce, ora
Omnes Sancti Sacerdotes, et Levitae, orate
Omnes Sancti Monachi, et Eremitae, orate
Sancta Maria Magdalena, ora
Sancta Agatha, ora
Sancta Lucia, ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Caecilia, ora
Sancta Catharina, ora
Sancta Anastasia, ora
Omnes sanctae Virgines, et Viduae, orate
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.

Ab omni peccato, libera
Ab ira tua, libera
A subitanea, et improvisa morte, libera
Ab insidiis diaboli, libera
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera
A spiritu fornicationis, libera
A fulgure, et tempestate, libera
A flagello terraemotus, libera
A peste, fame, et bello, libera
A morte perpetua, libera
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae, libera
Per Adventum tuum, libera
Per Nativitatem tuam, libera
Per Baptismum, et sanctum Jejunium tuum, libera
Per Crucem, et Passionem tuam, libera
Per mortem, et Sepulturam tuam, libera
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera
In die Judicii, libera
Peccatores, te rogamus, audi nos
Ut nobis parcas, te rogamus
Ut nobis indulgeas, te rogamus
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, te rogamus
Ut domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris, te rogamus
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, te rogamus

Ut Imperatorem nostrum custodire digneris, te rogamus
Ut regibus, et Principibus Christianis pacem, et veram concordiam donare digneris, te rogamus
Ut cuncto Populo Christiano pacem, et unitatem largiri digneris, te rogamus
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris, te rogamus
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, te rogamus
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, te rogamus
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris, te rogamus
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus
Ut nos exaudire digneris, te rogamus
Fili Dei, te rogamus
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.

Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster. *(secreto.)*

℣. Et te nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, Euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus; - qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus, adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.

Gloria Patri, etc.

Sicut erat, etc.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro PIO.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro Imperatore nostro FRANCISCO JOSEPHO.

℟. Domine, salvum fac Imperatorem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine; et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuère eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a

peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripiás.

Deus, qui errata corrigis, et dispersa congregas, et congregata conservas: quaesumus, super populum Christianum tuae unionis gratiam clementer infunde; ut, divisione rejecta, vero pastori Ecclesiae tuae se uniens, tibi digne valeat famulari.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro PIO, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Quaesumus omnipotens Deus; ut famulus tuus Franciscus Josephus Imperator noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum monstra devitare, hostes superare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Et custodiat nos semper. Amen.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Hic imponitur incensum in thuribulo eoque adoletur Reliquia sanctae Crucis. Quo facto, Cantores cantant sequentem antiphonam:

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi; quia per Crucem tuam redemisti mundum.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui de coelis ad terram de sinu Patris descendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur; ut in die judicii, ad dexteram tuam audire mereamur: Venite benedicti. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Et statim benedicitur populus cum Reliquia sanctae Crucis.

MONITUM.

Usque ad diem XXIV subsequentem, hora septima vespertina fit quotidie, ut hodie; sed diebus XXIII et XXIV pulsantur campanae Ecclesiarum, uti supra notatum est pro die XX.

DIE XXII JUNII.

MANE.

Hora quinta *in Eccl. Cath. Sacerdos ad id deputatus, paratus pluviali rubri coloris, accedit cum sex Clericis ad altare majus, ubi genuflexus in infimo gradu incipit hymnum* Veni Creator Spiritus, *Clericis cum populo prosequentibus, prout habetur supra pag.* 8. *Eo finito, dicitur:*

℣. Emitte spiritum tuum et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Reverso Sacerdote cum Clericis in sacristiam, habetur sacra concio, post cujus finem Missa privata in altari majori per aliquem Canonicum celebratur.

Primo quadrante post horam nonam *cantatur ab aliquo Canonico Missa votiva solemnis* pro remissione peccatorum, *qua finita, sacra concio habetur.*

MONITUM.

Usque ad diem XXV subsequentem, tam hora quinta matutina, quam primo quadrante post horam nonam fit quotidie, ut hodie, praeter Missam, quae cras erit *pro* (in Missali tit. *pro quacumque necessitate Ecclesiae*), *dissidentium reditu ad sinum sanctae Matris Ecclesiae Catholicae,* perendie *de festo currenti* Nativitatis S. Joannis Baptistae, ac die XXV *pro pace.*

DIE XXV JUNII.

VESPERE.

Hora media quinta *in Ecclesia Cathedrali, in qua omnes sessiones sacrosanctae et oecumenicae Synodi (praeter nonam et decimam Bononiae celebratas) habitae et Decreta universa publicata sunt, ritu pontificali primae Vesperae celebrantur de sancto* **Vigilio** *Episc. et Mart.* (1), *Titulari ejusdem Ecclesiae Cathedralis, atque praecipuo Tridentinae Civitatis et totius Dioecesis Patrono caelesti. His Vesperis assistunt, in loco cuique a Caeremoniariis assignato, amplissimi et reverendissimi Antistites, Abbates, Praelati, Canonici, qui vel invitati vel spontanei*

(1) *Fuit Romanus, rexitque Ecclesiam Tridentinam viginti annos, ac martyrio coronatus est VI Cal. Jul. anno christiano CCCCIV, aut, ut alii volunt, CCCC.*

istius celebritatis causa Tridentum advenerint. Antistites et Abbates mitrae usum habentes erunt ornati pluviali et mitra; reliqui vero erunt induti insignibus, quibus in propria Ecclesia vel Dioecesi utuntur.

Vesperis absolutis, depositisque paramentis in sacristia, ubi ante illarum initium eas induerant, discedunt omnes, exceptis iis, qui in Choro Completorium cantare debent.

Hora media octava, *sine Praelatorum et Antistitum interventu canuntur* Litaniae Lauretanae (*pag.* 3). *His additur hymnus* Quem tuus digne (*pag.* 27) *in honorem S. Vigilii, in cujus fine dicitur:*

℣. Posuisti Domine super caput ejus.
℟. Coronam de lapide pretioso.

OREMUS.

Deus, qui hunc diem nobis beati Vigilii Martyris tui atque Pontificis sanguine consecrasti; da, quaesumus, ut ejus meritis ab omnibus semper adversis defensi aeternae vitae praemia consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Data benedictione cum Reliquia ex Osse Brachii dexteri S. Vigilii, pulsantur campanae omnes, ut pridiano vespere factum est.

DIE XXVI JUNII.

IN FESTO S. VIGILII EPISC. ET MART.

MANE.

Hora nona *in Eccl. Cath., praesentibus amplissimis Praesulibus pluviali et mitra ornatis, inchoatur Hora officii divini Tertia, quam sequitur Missa pontificalis de festo. Infra Missam habetur Homilia. Post Missam illustrissimus et reverendissimus Celebrans Benedictionem Papalem impertietur.*

VESPERE.

Hora media quinta *in Eccl. Cath. canuntur secundae Vesperae, et post eas instituitur solemnis pompa, qua S. Vigilii Ossa argenteae arcae inclusa per urbem circumferuntur, Caeremoniariis ad id electis processionem secundum ordinem jam editum dirigentibus.*

Regularibus ex Ecclesia egredi incipientibus, illustrissimus et reverendissimus Celebrans sedens imponit incensum in duobus thuribulis cum solita benedictione; et quum tempus fuerit, ad nutum Caeremoniarii incensat Reliquias S. Vigilii in processione deferendas.

Ordo autem servandus a Clero in hac processione is est:

Primi omnium procedunt Regulares tam urbani, quam dioecesani et exteri.

Ante Crucem Ecclesiae Cathedralis, gestatam a Subdiacono tunicella rubra induto in medio duorum Acolythorum, incedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante et alius Acolythus cum navicula incensi.

Post Crucem sequuntur:

Alumni Seminarii Episcopalis — Sacerdotes dioecesani et exteri, qui ex Parochorum numero non sunt — Clerici et Sacerdotes Parochiarum urbanarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ac Sanctae Mariae Majoris — Parochi et Decani — Professores S. Theologiae in Seminario Episcopali — Beneficiati Ecclesiae Cathedralis — Duo Praecentores pluvialibus rubris induti, qui intonant, et cum Beneficiatis cantant Hymnos infra positos — Canonici Ecclesiarum Collegiatarum — Praepositi aliique Praelati mitrae usum non habentes — Canonici et Dignitates Ecclesiae Cathedralis — Illustrissimi et reverendissimi Praesules pluviali et mitra ornati — Thuriferarius cum thuribulo fumigante et alius Acolythus cum navicula incensi — Duodecim Clerici gestantes funalia — Sacerdotes deferentes arcam Ossium S. Vigilii — Illustrissimus et reverendissimus Celebrans pluviali et mitra ornatus inter duos Assistentes paratos dalmaticis.

In processione cantantur Hymni sequentes:

Hymnus.

Quem tuus digne tibi grex honorem
Luce persolvet, bone Pastor, alma;
Luce, quae sancte recolenda nobis
Gaudia reddit?

Hac die fulgens tibi porta coeli
Panditur, dum nec lapidum nefandus
Ille te nimbus, neque mortis atra
Terret imago.
Tu quidem verbo, angelicaque vita
Traxeras mortis populos ab umbra,
Sed tuo firmasti hodie salutem
Sanguine nobis.
Tu tuos, et nunc miseratus audi.
Heu vide, quae nos feriant procellae!
Quae premant culpae! veniam precare,
Et rege fessos.
Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus canitur per omne
Gloria saeclum. Amen.

Hymnus.

Invicte Martyr, supplices
Te deprecamur, annua
Benignus atque prosperus
Sume tuorum munera.
Si nullus olim te labor,
Nec dura mors deterruit,
Dum creditas oves tibi
Lupo eripis teterrimo:
Tu nunc, adepta laurea,
Dulcique laetus patria,
Quanto tuum libentius
Fidum gregem tutaberis?
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Hymnus.

Deus tuorum militum
  Sors, et corona, praemium,
  Laudes canentes Martyris
  Absolve nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia
  Et blanda fraudum pabula
  Imbuta felle deputans
  Pervenit ad coelestia,
Poenas cucurrit fortiter,
  Et sustulit viriliter;
  Fundensque pro te sanguinem,
  Aeterna dona possidet.
Ob hoc precatu supplici
  Te poscimus, piissime,
  In hoc triumpho Martyris
  Dimitte noxam servulis.
Laus et perennis gloria
  Patri sit, atque Filio,
  Sancto simul Paraclito
  In sempiterna saecula. Amen.

Hymnus.

Invicte Martyr, unicum
  Patris secutus Filium,
  Victis triumphas hostibus,
  Victor fruens coelestibus.
Tui precatus munere
  Nostrum reatum dilue,
  Arcens mali contagium,
  Vitae repellens taedium.

Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis saeculi,
Dono superni Numinis.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ubi processio ad Ecclesiam Cathedralem reversa, et arca Ossium S. Vigilii pristino loco reddita est, schola Cantorum cantat sequentem antiphonam:

Ora pro nobis, beate Vigili, ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Dum cantatur antiphona praedicta, illustrissimus et reverendissimus Celebrans incensat Reliquias S. Vigilii.
Antiphona finita, duo Cantores cantant:

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus.

Et Chorus respondet:

℟. Coronam de lapide pretioso.

Tum Celebrans cantat orationem:

OREMUS.

Laetetur Ecclesia tua, Deus, beati Vigilii Martyris tui atque Pontificis confisa suffragiis; atque ejus precibus gloriosis et devota perma-

neat, et secura consistat. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oratione finita, impertitur benedictionem cum Reliquia ex Osse Brachii S. Vigilii.

Tum depositis sacris vestibus, omnes discedunt in pace.

DIE XXVII JUNII.

Mane.

Primo quadrante post horam octavam *convenit in Ecclesiam Cathedralem Clerus regularis et saecularis. Amplissimi Praesules accipiunt pluvialia et mitras. Illustrissimus et reverendissimus Celebrans, lectis prius psalmis et orationibus praeparationis ad Missam, lavatisque manibus, induitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, ac stola et pluviali albi coloris; et, postquam sedens cum mitra imposuerit incensum in thuribulo, accedit ad altare majus, ubi genuflexus sine mitra incipit hymnum* Ave maris stella (*pag.* 13).

Finita per Cantores prima stropha, surgunt omnes et cantantes reliquas strophas ejusdem hymni, aliosque hymnos infra positos procedunt, juxta ordinem pridianum, ad Ecclesiam S. Mariae Majoris, in qua, Pio IV Pontifice Maximo, generales sacrosanctae Synodi Congregationes habitae sunt.

Hymnus.

Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, praedicant,
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariae bajulat.
Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa coeli gratia,
Gestant puellae viscera.
Beata Mater munere,
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo continens
Ventris sub arca clausus est.
Beata coeli nuntio,
Foecunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus,
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

Hymnus.

O gloriosa virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Coeli recludis cardines.

Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptae plaudite.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Vergine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ecclesiam S. Mariae Majoris ingressi adeunt omnes loca sibi parata. Illustrissimus autem et reverendissimus Celebrans sedens accipit caligas et sandalia, ac stans lavat manus; deinde, deposito pluviali, accipit tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam albi coloris, mitram et annulum. Tum accedit ad altare majus Missam votivam de B. Maria Vergine *inchoaturus, in qua dicitur hymnus angelicus, unica oratio, symbolum, et Praefatio de eadem B. Maria Virgine cum* ℣. Et te in veneratione.

Infra Missam habebitur Homilia.

Post Missam illustrissimus et reverendissimus Celebrans Benedictionem Papalem impertietur. Quo facto, deponit sacras vestes usque ad stolam exclusive; resumptis vero calceis ordinariis et lotis manibus, accipit pluviale et mitram, sequiturque amplissimos Praesules redeuntes ad Ecclesiam Cathedralem cum reliquo Clero, qui iterum concinit hymnos Quem terra, pontus, sidera, *atque* O gloriosa Virginum.

Postquam processio ad Ecclesiam Cathedralem regressa est, a schola cantorum cantatur antiphona de B. V., a duobus cantoribus versiculus et a Celebrante oratio, prout sequitur:

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillánimes, réfove flebiles, ora pro populo, intérveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genetrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Data postea benedictione, depositisque paramentis, omnes discedunt.

Vespere.

Hora media octava *in Eccl. Cath. cum interventu amplissimorum Antistitum, aliorumque Praelatorum cantantur* Litaniae Lauretanae, *et Hymnus* SS. Redemptoris, *prout habetur supra pag.* 3 *et seqq.*

DIE XXVIII JUNII.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

MANE.

Hora nona *in Eccl. Cath. celebratur ritu pontificali Missa votiva* de SS. Trinitate pro Gratiarum actione, *assistentibus amplissimis Praesulibus pluviali albi coloris et mitra ornatis.*

In Missa dicitur Hymnus angelicus, Symbolum, Praefatio de SS. Trin., et ultimum Evang. In principio, *atque orationi Missae sub unica conclusione additur collecta pro Gratiarum actione.*

Infra Missam habebitur Homilia.

Missa finita, illustrissimus et reverendissimus Celebrans impertietur Benedictionem Papalem.

Depositis paramentis, disceditur.

VESPERE.

Hora media quinta *in Eccl. Cath. canuntur primae Vesperae de Ss. Apostolis Petro et Paulo. His absolutis impositoque incenso in thuribulo, instituitur processio Cleri saecularis et regularis ad Ecclesiam parochialem eorumdem Ss. Apostolorum, ad quam anno MDLXII die XXVIII Dec., post celebratam Missam solemnem in Eccl. Cath., processerunt reverendissimi Patres veneraturi cor-*

pusculum beati Pueri **Simonis** *Innocentis et Martyris Tridentini, quod in ea requiescit* (1).

Dum itur ad dictam Ecclesiam, cantatur hymnus, qui sequitur:

Hymnus.

Exultet orbis gaudiis,
Coelum resultet laudibus:
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.
Vos saeculorum judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.
Qui templa coeli clauditis
Serasque verbo solvitis,
Nos a reatu noxios
Solvi jubete, quaesumus.
Praecepta quorum protinus
Languor salusque sentiunt,
Sanate mentes languidas;
Augete nos virtutibus.
Ut, cum redibit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse compotes.
Patri, simulque Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter,
Saeclum per omne gloria. Amen.

(1) *De eo fit mentio in Martyrologio romano ad diem 24 Martii; sed pro* Simeon *legi debet* Simon, *quia nomen habuit a S. Simone Apost., in cujus vigilia natus et baptizatus est anno MCCCCLXXII.*

Post hymnum cantatur psalmus 131 Memento, Domine, David (*pag.* 9) *usque ad ingressum Ecclesiae, in qua, postquam omnes aliquantulum secreto oraverint, cantantur a schola Cantorum antiphonae et a Celebrante orationes, prout sequitur.*

De S. Petro Apostolo.

Ant. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum; tibi traditae sunt claves regni coelorum.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

OREMUS.

Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus regni coelestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

De S. Paulo Apostolo.

Ant. Sancte Paule Apostole, praedicator veritatis, et Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis, sancte Paule Apostole.

℟. Praedicator veritatis in universo mundo.

Oratio.

Deus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli praedicatione docuisti; da nobis, quaesumus, ut cujus natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De S. Simone Innoc. et Mart. Tridentino.

Ant. Corpus ipsius in pace sepultum est; et nomen ejus vivit in generationem et generationem, alleluja.

℣. Ora pro nobis, Beate Simon.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus innocentiae restitutor et amator, pro cujus nomine beatus innocens Simon acerbissimae mortis supplicio a perfidis Judaeis interemptus est; praesta, quaesumus, ut ejus intercedentibus meritis, ab hujus vitae contagiis impollúti ad coelestem patriam pervenire valeamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

In reditu ad Ecclesiam Cathedralem cantatur hymnus sequens:

Hymnus.

Aeterna Christi munera
  Apostolorum gloriam,
  Palmas et hymnos debitos
  Laetis canamus mentibus.
Ecclesiarum Principes,
  Belli triumphales duces,
  Coelestis Aulae milites,
  Et vera mundi lumina.
Devota Sanctorum Fides,
  Invicta Spes credentium,
  Perfecta Christi Charitas
  Mundi tyrannum conterit.
In his Paterna gloria
  In his triumphat Filius,
  In his voluntas Spiritus:
  Coelum repletur gaudio.
Patri, simulque Filio,
  Tibique Sancte Spiritus,
  Sicut fuit, sit jugiter,
  Saeclum per omne, gloria. Amen.

Post hymnum cantatur psalmus 32 Exultate justi (*pag.* 10), *cui addi potest psalmus* 66 Deus misereatur (*pag.* 11).

Omnibus Ecclesiam Cathedralem ingressis, schola cantorum cantat antiphonam et Celebrans orationem, ut sequitur:

Ant. Petrus Apostolus et Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

℣. Constitues eos Principes super omnem terram.

℟. Memores erant nominis tui, Domine.

Oremus.

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Data benedictione, ac depositis paramentis, disceditur.

DIE XXIX JUNII.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Mane.

Hora nona *in Eccl. Cath. inchoatur Officii divini Hora Tertia, adstantibus amplissimis Praesulibus pluviali rubro et mitra ornatis. Deinde celebratur Missa pontificalis de festo currenti. Infra Missam habetur Homilia. Post Missam illustrissimus et reverendissimus Celebrans Benedictionem Papalem impertietur.*

Vespere.

Hora media quinta *cantantur secundae Vesperae, praesentibus amplissimis Praesulibus ornatis pluviali rubro et mitra.*

Vesperis persolutis, fit publica orthodoxae Fidei professio juxta formam Pii Papae IV, omissis postremis verbis, quae nec hodiernae actioni, nec omnibus conveniunt. Dum vero forma professionis Fidei alta et clara voce de suggestu legitur, reliqui in suis locis genuflexi eamdem dicunt voce submissa.

FIDEI PROFESSIO.

Ego firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum

gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis (licet non omnia singulis) necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses

quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas ego pariter damno, rejicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri (1) spondeo, voveo et juro. Amen, Amen.

Professione Fidei peracta, ac stantibus omnibus, illustrissimus et reverendissimus Celebrans inchoat in cantu, schola prosequente, antiphonam sequentem:

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
Gloria Patri.
Sicut erat.

Deinde repetitur antiphona Confirma, etc. *Qua repetita, Celebrans dicit:*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

(1) *In forma Pii Papae IV post verbum* confiteri *haec sequuntur:* atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Oremus.

Deus, innocentiae restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum; ut, Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum intonat hymnum Te Deum laudamus, *dumque Musici eum decantant, campanae omnes pulsantur.*

Hymnus.

Te Deum laudamus; * te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli; * tibi coeli et universae Potestates;

Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus; * Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra * majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus * Apostolorum chorus;

Te Prophetarum * laudabilis numerus;

Te Martyrum candidatus * laudat exercitus.

Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia

Patrem * immensae majestatis;

Venerandum tuum verum * et unicum Filium;

Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.

Tu Rex * gloriae Christe:

Tu Patris * sempiternus es Filius:

Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum:

Tu, devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna coelorum:

Tu ad dexteram Dei sedes, * in gloria Patris.

Judex * crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis súbveni, * quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis * in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine; * et benedic haereditati tuae:

Et rege eos, * et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies * benedicimus te:

Et laudamus nomen tuum in saeculum; * et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto * sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine; * miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, * quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi, * non confundar in aeternum.

Hymno finito, duo Cantores dicunt:

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Respondet Chorus:

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Et Celebrans dicit:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem; quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post haec aliquis Praelatus aut Canonicus pluviali indutus conclusionem celebritatis paucis verbis pronuntiat.

Data demum solemniter pontificali Benedictione, depositisque paramentis, omnes in pace discedunt.

NOTA.

SS. Dominus Noster **PIUS** Papa IX clementer deferens supplicibus votis Reverendissimi D. **BENEDICTI de RICCABONA** Episcopi Tridentini indulsit, ut hoc anno 1863 et hac vice tantum occasione Solemnitatis, qua Tridenti circa finem mensis Junii commemoratur tertius Centenarius occurrens ab expleto Sacrosancto Concilio Tridentino,

1.° Christifideles utriusque sexus, qui praemissa sacramentali Confessione et Communione intra novem dies hujus Solemnitatis devote una tantum vice visitaverint Ecclesiam Cathedralem Tridenti, nec non Ecclesias Parochiales S. Mariae Majoris, et Ss. Apostolorum Petri et Pauli; vel praedictam Cathedralem dumtaxat tribus distinctis vicibus, ibique per aliquod tempus oraverint juxta Mentem Sanctitatis Suae lucrari valeant in forma Ecclesiae consueta Plenariam Indulgentiam per modum Suffragii applicandam Animabus, quae in Purgatorio cruciantur.

2.° Ut intra praedictos novem dies in Eccl. concil. Missas solemnes votivas in libello supplici indicatas celebrare liceat, exclusis Duplicibus primae et secundae Classis Festisque de praecepto servandis.

3.° Ut quicumque spectant ad Clerum saecularem solemnibus Functionibus interesse possint cum insignibus, quibus in propria Ecclesia et Dioecesi utuntur.

4.° Ut Reverendissimi Episcopi Missam Pontificalem celebrantes quatuor postremis Solemnitatis diebus, nimirum XXVI, XXVII, XXVIII et XXIX Junii, expleta Missa, impertiri valeant Apostolicam Benedictionem.

5.° Ut intra fines Communitatis Trident. diebus 26 et 27 Junii carnibus vesci liceat anticipato tamen jejunio, quod in pervigilio festi Ss. Apost. Petri et Pauli hoc anno servari debet die Sabbati 27 Junii, aliquo die arbitrio R. P. D. Episcopi Oratoris designando; designatus autem fuit dies 3 Junii, feria IV post Dominicam Trinitatis.